

Ye
3791



Handwritten text and decorative border on the right edge of the page, including a large 'X' at the top and 'GW.12' at the bottom.



~~XIV~~ QK 2241

Ye
3791

Σ. Τ. Θ.
DE

RECTORE ACADEMIÆ,

DISPUTATIONE POLITICA,

MODERAMINE

PRÆCELLENTISSIMI PRÆCLARISSIMIQUE

DN. M. DAVIDIS WENDELERI,

Amplissimæ Facultatis Philosoph. Adjuncti
dignissimi,

*Domini Præceptoris ac Fautoris sui
æsumatissimi,*

Publicæ Literatorum Disquisitioni submissa,
ab

AUCTORE

HEINRICO SALOMONE SARTORIO,

Leubnitio-Varisco, Sereniss. Electoris Sax. Alumno,
Philos. & Philol. Stud.


*In Auditorio Veteri hic Witteberge
horis 10. Latinis*

D. XIII. Octobr. Anno Christi M DC LXXVII.

BIBLIOTHECA
POMICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

8



MATTHÆI H. NCKELII,

QK 226.

Kort. 4, 41.



Inclytissimæ Academia
VVITTEBERGENSIS
RECTORI MAGNIFICO,
VIRO

Nobilissimo, Excellentissimo, Amplissimo,
Consultissimoq;

DN. VVERNERO THEODORO
MARTINI,

J. U. D. longè famigeratissimo, Antecessori Celeberrimo,
Sereniss. ac Potentissimi Elect. Saxon. in Supremo Adpellationum
Judicio Consiliario Splendidissimo, Curiaè Provincialis, Consistorii Ecclesiastici,
Scabinatûs, Juridicæ Facultatis, nec non Judiciî Ducalis Inferioris Lusatiaè,
Adfessori Gravissimo, Nobilissimæ Facultatis suæ, quæ hîc
Witebergæ floret, h. t. DECANO
SPECTATISSIMO.

DN. Mecænati, Patrono, Hospiti, ac studiorum
suorum Promotori maximo etatèm
devenerando,

Gratiam divinam, vitam longævam,
Sanitatem perennantem,
Felicitem consummatam,

Tantoq; VIRO digna quævis animitûs adprecatur,
Simulq;

hoc, quicquid est, Exercitationis Politicæ,

Magnifici Nominis sui devotissimus, Et

ad omnia obsequia devotissimus Client

L. m. q.

D. D. D.

AUCTOR RESPONDENS.

L. L. I.



Σ. T. Θ.

I.

Anta tamq; varia *Summi Creatoris* in hac mundi machina ritè instruenda fuit solertia cum sapientia conjuncta, ut eam vix ac ne vix quidem ingenii nostri tenuitas adseqvi possit. Quæ ut in aliis mirè se prodit, ita non minus in summa illa analogia, quæ *Macrocosmo* cum *Microcosmo* intercedit; eam mirari, venerariq; licet. Sive enim *similitudinem* spectemus *ratione graduum* Entis sive *ratione perfectionis* in utroque genere maximam eam deprehendimus. Nam quæ in homine cum ratione conjunctim reperiuntur *Entium* genera, ea in *Macrocosmo* separatim in diversis corporibus offeruntur: quippe quæ vel *nanimi formâ* sustentantur, vel *vitâ operatio-*
ibusq; vitalibus gaudent, vel *sentium*, al

A 2

Stum

Etum, motumq; vegetabili naturæ superad-
dunt. Adde quòd rerum per Macrocolmum
dispersarum nobilissima Dei creatura quoddam
quasi compendium exhibeat, unde non imme-
ritò hominem Divinus ille *PLATO* vocavit *mi-
raculum*, *PLOTINUS* aliquod *commune bonum*,
SUMMUS ARISTOTELES alterum mundum, *So-
CRATES* parvum Deum. Fovet quippe adhuc
parvus mundus sive homo cum magno mun-
do non minimam similitudinem *ratione ordi-
nationis*, quò pactò, licet singula in Macroco-
smo contenta peculiare obtineant fines, ulti-
mò tamen ad *Microcosmi usum* facta & ordina-
ta omnia inveniuntur. Videmus enim in homi-
nis gratiam omnia in mundo esse facta, nec ul-
lam dari speciem, quæ non suum homini præ-
stat officium, quare & rectè *subtilis* ille *SCALI-
GER* dixit: *Homo propter Deum, mundus propter
hominem factus est*. Non multis exponam præ-
tereà Analogiam hominis cum mundo *ratione
constitutionis corporis*, secundum quam totum
tammodo mundum repræsentat, & cum
singul-

l-
m
m
e-
i-
n,
o-
ic
n-
li-
o-
ti-
a-
ni-
al-
æ-
li-
er
æ-
ne
m
m
u-

singulis ejus speciebus peculiarem fovet simili-
tudinem. *Cor hominis* respondet *Soli*, *cerebrum*
Luna, *partes generationi destinatae Veneri*, *Lien*
Saturno, *vesicula fellis Marti*, *epar Jovi*, aliæq;
partes speciebus aliis, uti eruditè adserit *SPEER-*
LINGIUS Instit. Phys. l. 9. c. 1. Quest. 2.

II.

Verùm in præsentì eam tantummodò,
missis prioribus perlustrare convenientiam a-
nimò sedet, quam cum capite in humano cor-
pore ipse Macrocosmus habet. Corpus sine
capite nullum est, eo autem existente, floret cor-
pus, gaudetq; suis adfectionibus; eò extinctò
nullum est, pereuntq; omnes ejus partes, ja-
centq; omnes operationes. Parili ratione est
cum ipso comparatum. Magistratus scilicet
caput ipsius mundi est. Hoc enim præsentè &
legum vis atqve norma firmis inhæret animis,
quibus pro virili rerum suarum satagit; nemo ni-
si improbæ notæ animus, justitiæ, legumq; præ-
scriptarum fines pertransit, qui deinde justâ pœ-
nâ adficitur. Deficiente autem Magistratu tur-

bidus

bidus existit Reipublicæ status, adeò ut interdum ipsa Respublica labefactetur non modò, verùm etiam planè evertatur. Oriuntur enim tunc temporis variæ læsiones, nec non injuriæ, quæ mox in rixas ac jurgia, deinde in seditiones tumultusq̃ve, ex quibus magnæ calamitates prodeunt, erumpunt; pessima deniq̃ve omnium rerum facies, miserrimaq̃ve, quâ miserior nunquam esse possit, existit.

πάντα ἢ ἀνάντα, κατὰ πάντα, παρὰ πάντα το δόχμια κείται,

Et Vivitur ex raptò, nec hospes ab hospite
tutus,

Nec socer à genero.

Ut hisce malis obex ponatur scelestissimis, sapientissimus Creator singulari immensâq̃; bonitate suâ instruxit hocce mundi theatrum, ut in regionibus, civitatibus, & quovis fermè terrarum locò, quidam reperiantur, qui summum tenent imperium, qui administrant justitiam, improbosq̃; pœnis adficiunt; Neq̃ve ullum collegium, quale quale illud sit, neq̃ve societas, neq̃ve Respublica, neq̃ve civitas salvo permanente

nente felicissimarum rerum statu capite illo, ad
quod fasces imperii spectant, carere poterit.
Ipsa animalia bruta suum caput quasi peculiare
agnoscunt, nec apiculæ sine capite volare cu-
piunt; gaudent enim suo rege, duce seu præsi-
de, qui jam cuivis emisso examini additur, ac
præficitur. Inter ea animantia, quibus in aquis
marique profundo vivere, Deo sic disponente,
volupe est, cetus, immanis timor æquoris, pro
capite piscium habetur; Aquila merito jure
avium regina salutatur; Leo omnium ore ante-
signanus sui ordinis quadrupedis manebit. Et
quum è vetustatis memoria, commentisque poë-
tarum non nihil repetimus; Dii quoque, juxta
ISOCRATIS NICOCLEM, regem suum Jovem, cœ-
li præsidem, habere dicuntur. Sed si de brutis
anteà dictis, ratione tamen destitutis, tam acri-
ter observare licet, quid erit dicendum de ipsis
hominibus, quippe ratione præditis creaturis,
finem salutarem, ex Magistratu constituendo,
uberrimè profluentem, maximè perspectum
habentibus. Hinc quoque omnibus in civitati-
bus,

bus, societatibus, collegiisq; habentur, qui fa-
sces summi imperii tenent. Exemplo nobis est
ipsisissima Academia, quippe quæ quum sit *socie-*
tas à Majestate ad docendam juventutem in-
structa, gaudet quoque suo *capite*, cui dicto
membra *Academiæ* audientes sunt, idq; sum-
mò honore adficiunt, & ab ipsis *RECTOR*
ACADEMIÆ audit. De hoc autem, ejus Re-
giâ quasi dignitate concessâq; potestate, quum
in præsentibus breviter disserere constitutum ha-
beam, est, quòd Deum Ter-Opt. Max. à quo fa-
sces & imperia, obnixè rogem, ut successus eosq;
prosperos clementissimè elargiri velit.

III.

De Magistratu Academico, seu ut com-
muni dicendi genere eloquar, *RECTORE ACADEMIÆ MAGNI-*
FICO, disputaturus, haut extra oleum me versaturum, sed rectè
atque ordine facturum, existumo, quum brevibus, de *Academiæ*
origine, & cui *Academias* erigendi potestas legitimò modò com-
petat, præsertim quum maximè nostro scopo inserviat, disseram.
Per pauca igitur in primordio de vocis origine sum prolaturus.

IV.

Reperiuntur enim nonnulli, quos varia vocis *Academiæ* ac-
ceptio permagnè juvat; de quibus videatur JOH. HEINR. AL-
STEDII *Encyclopædia Cursus Philos.* 1. 19. de *Scholastica* C. 2.
p. 2680. verum uti dixi, non unâ mente inter se conveniunt aucto-
res;

res; Quidam intelligunt per vocabulum *Ἀκαδημία*, vel *Ἀκαδημία*, vel etiam *Ἐκαδημία*, civitatem, & *Ἀκαδημία*, quasi ex *ἀγὼν τῶν δῆμων*, collatione populorum dici volunt. Alii reddunt per lavacrum, deducentes *ὄργι τὸ κάζειν*, ornare, hancce suam opinionem stabilire contendunt & ritu Academiae, & situ istius loci. Quà situm, lavacrum enim non procul ab urbe, unà cum nemore, propter eximiam jucunditatem spectatores suos invitatos, maximè pascens ac commovens, Academiae adhæsisse; inq; illud lavacrum pro ratione consuetudinis receptæ, quâ ritum, juvenes studiosos, studiorum ac exercitiorum suorum destinatos sibi gradus adgredientes, teste Græcorum Patrum tersissimo NAZIANZENO, lavandi gratiâ, descendisse, historiæ luculenter tradunt monumenta. Pro *Gymnasio* autem ventilantes, Academiam deducunt, ab *Academo*, vel *Hecademo*, seu juxta plerosqve *Echedemo*, vel *Echademo*, Heroë quodam laude, divitiisq; valdè conspicuo; cui in suburbio, passibus mille ab Athenis distans locus erat pernemosus, quem amoris, & singularis in studia literaria benevolentiae ergò, iisdem quoque sacrum & dicatum esse voluit. Possessionem itaque hanc suam privatamq; huncce fundum, ter mille drachmis comparatum, sustentaculum ac receptaculum studiosorum fecit, scholamq; publicam ibidem constituit, PLATONEMq; summæ apud Græcos, & prudentiæ & auctoritatis virum (uti CALISTRAT. l. 2. ff. de nundinis audit) huic Collegio ab auctore & fundatore Academia dicto præfecit, cujus rei testis nobis existit DIOG. LAERTIUS de vita Philos. l. 3. in vita Platonis, p. m. 122. Ab hoc jam notato *Academo* dici volunt *Ἐκαδημία*, vel *Ἐκαδημία*, seu *Ἐκαδημία*, recensente PLUTARCHO, nec non LAERTIO cit. loc. item de originibus Latinæ Lingvæ maximè industrius, BECMANNO in voce Academia p. m. 28. Superfunt & quidam, qui *Cadmo*, *Agenoris*, (vid. CHRISTOPH. HELVICI Theatr. Histor. de Chronolog. p. m. 11, c. & p. 25, i.) Regis Phœnicii filio, litterarum quarundam Græcarum inventori, originem Academiae tribuunt, inter quos FRANCISC. JUNIUS in sua Academia c. 1. p. m. 1. Ab hoc arx & Gymnasium Thebanorum *Cadmia*, vel *Cadmea* nominata, & populi quoque *Cadmei*, hi autem *Cadmeæ*, seu Scholæ publicæ, κατ' ἐξοχὴν Ἀκαδημία dictæ, B
ori.

“ originem nomenq; dederunt, postmodum autem Libyū &
 “ Afrorum more præfixo A, prodiit Acadmea, seu Acadmia, in-
 “ terposito tandem e Academia, vid. *Excellentissimi &c. Dn.*
Nöhrseens / Prof. Philos. Pract. Publ. Celeberrimi, Dn. Præcepto-
ris, Fautoris, pariterq; Promotoris nostri maximi, Disputatio de
Jure Majestatis in Academiis, §. 8. Nec desunt adfirmantes oriri
 Academiam ex ἀκαδημία, remedium, medela, & nimirum δῆμος popu-
 li, quod medeantur Academiae ignorantiae naturam mentibus homi-
 num insitæ, quæ ipsam vocis tantummodò allusione Academiarum
 commodum coloribus quasi vivis simul depingere student. Et
 quoniam juxta Romanæ lyrae fidicinem, *Flaccum*, studia secessum
 quærent, quasi ex loci conditione permulti petunt denominatio-
 nem, perpendentes, quòd non delectationem modò, sed & tran-
 quillitatem animi studiorum cultores sibi velint. Hinc nonnulli
 hanc vocem componunt ab ἑκαστῶν δῆμων, procul ab hominum
 turba, quum locus insuper fuerit à nimia hominum consuetudine,
 colloquiisq; planè remotus, uti suprà monuimus, simulq; amœni-
 tate savoris. Consitus enim erat hic, adnotante SCAPULA ex PAUSA-
 NIA, aliisq; Græcis auctoribus, arboribus permultis, pulcerrimisq;
 fortium virorum monumentis adornatus, ibidemq; erat Gymna-
 sium, in quo sese Philosophi imprimis exercebant, uti in Lyceo.
 Atque nunc, quum ex hæcenus allatis certi aliquid sit eligendum,
 nec non de vocabuli origine statuendum, istorum opinioni acce-
 dendum erit, probantium, Athenis hocce nomen inclaruisse pri-
 mitus, suosq; natales debere Gymnasio illi Atheniensium inter
 tria præcipuo præstantissimoq;, sive sit ab Academo Heroe Athe-
 niensium, sive ab alia voce suam originem trahat, nos in præsentem
 litem non movebimus, sed bellum hoc accuratis Philologis relin-
 quimus componendum. Interea Monarcharum, Principumq; im-
 munitatibus munificentissimis fundatas, & concessas Academiis
 ab illo nomen accepisse, atque ad hæc usque tempora retinuisse,
 nemo facilè inficias ibit, plura de hac re vid. apud ADAMUM
 CONTZENUM in *Politico*. l. 4. c. 13. n. 1. p. m. 242. THOMAM LANSIUM
 in *Commentario de Academiis* p. m. 4. sub litera D. FRANCISCUM
 JUNIUM, LIMNÆUM, de *Jurepubl.* l. 8. c. 1. de *Academia*.

V. Di.

V.

Diximus haftenus de vocis derivatione sive origine, nunc compositæ vocis rectam prononciationem tractabimus, quæ, uti ipsum Etymon, inter literatos permagnè variat. Audimus enim jam attollere jam deprimere. Sequimur autem Vossium, penultimam reddentem communem, sæpiùs autem corripit adfirmantem, vid. ejus *Grammat. Latina in Prof.* Reg. 2. p. m. 307. BECCMANNUS loco suprâ cit. p. 28. POET. GIESSENS. c. 2. l. 1. p. m. 13. GOCLENIUS l. 1. *Problem.* Grammat. c. 17. p. 15. LIMNÆUS *Jurepubl.* l. 8. de *Academ.* c. 1. §. 3. Enimverò quoniam ab instituti nostri ratione, hisce diutiùs inharere alienum est, ergò iis nuncium mittentes, Critices studiò vacantibus relinqvamus.

VI.

In præmissis unus sufficiebat nobis titulus, hac vice præcipuas denominationes unò fasce quasi colligimus: multiplici aliàs nomine venit Academia; nuncupantur enim ejusmodi Collegia, *Academia, Universitates*; qui tituli omnium communissimi, pariterq; frequentissimi habentur. Adpellantur porrò *Schola Majores, Superiores, Universales, Regia*, item juxta D. HIERONYMUM *Studia.* vid. LIMNÆUS de *Jurepubl.* l. 8. c. 1. de *Academ.* l. 3. ALSTEDIUS *Encyclop. Curs. Philos. Scholast.* ad reg. 3. p. 2693. Vernaculâ autem lingvâ hoc modo exprimere adsveti sumus, die *Hohe Schulen / die Universitäten.* Defigentes oculos in literarum egregia monumenta, ab eruditissimis quibuscunqve viris consignata luci q; publicæ reddita, Myriades sanè *Academiarum Encomiorum* offendimus. Siquidem modò nuncupantur *Mercaturæ bonarum artium* Cic. l. 3. *Offic.* modò *seminaria Ecclesiæ*; modò *omnis virtutis, sapientiæ, eloquentiæ domicilia & seminaria.* BALTHAS. MENZII *Catalog. Acad.* p. m. 158. modò *omnis divinæ scientiæ, & sapientiæ, Ecclesiæ & Reipublicæ plantaria*, modò *felices tranquillæ & quasi beatorum insulæ.* URSINUS. Quò autem tempore, & ubicunqve gentium prima exstiterit Academia, animò non sedet nostrò probare; utramqve paginam, ut dicitur, faciet sententia P. HEIGII *Quest. Juris.* *Quæst. F.* omnem

dubitationis aleam positum est, tempore etiam antediluviano cultas fuisse Academias. Sanctorum enim patrum aedes adinstar Academiarum exstiterunt, quippe quæ nihil aliud fuerunt, quàm pietatis incorruptæ scholæ bonarumq; literarum officinæ; siquidem doctorum hominum studia colentium, docentiumq; celebritas facit Academiam. Constat autem, scientiam non tantum rerum sacrarum doctrinæq; divinæ, sed & studium Philosophiæ, & imprimis cognitionem astrorum, quæ motum, quaq; effectum Patres Patriarchasq; tradidisse. Ubivis insuper locorum in toto terrarum ambitu ejusmodi collegia rudem hominis ætatem instruentia exstitisse, monumenta probatissimorum scriptorum satis superq; testantur, quæ verò ratione ex hac in alteram terram propagatæ fuerint Academiæ, Excellentissimus Dn. Röhrsensee in *Disput. allegata* §. 3. & seqq. satis docet.

VII.

Postquam hæctenus de origine hujus vocis ceterisq; nonnullis necessariò huc spectantibus egimus, jam cui potestas Academias erigendi competat, solliciti erimus. Nemini aliis nisi ipsi summæ potestati hanc potestatem esse tribuendam, ex ipsa Definitione satis perspectum habemus. Definatur enim communissimè à Civilis Prudentiæ Doctoribus, uti ex THOMA LANSIO, quem in presenti adducere præstat, in *Comment. de Academiis. Quod sit ex singulari Majestatis Imperii indultu, docentium & discipulorum bonò, commodè instituta societas.* Princeps enim parùm differt à paterfamilias, dicente ex XENOPHONTE CHYTREO, *Oratione de Ferdinand. Cæs. p. m. 105.* Quemadmodum enim paterfamilias domui suæ unicè unicq; præest, neque quemquam in partes rem familiarem dirigendi, ordinandi, disponendi, vocabit; ita & Princeps regni & territorii sui solus est princeps, nec cuiquam facilè permittet, in regno suo aliquid moliri. Accepit enim summam Resp. curam, summumq; rerum judicium, ab ipso Numine Divino, adeò ut possit de qualibet actione publica cognoscere, & quid fieri velit, quidve omitti, efficaci decreto statuere atqve determinare; Subjacent ejus arbitrio singula, & omnia civitatis privilegia, procurat divina, ordinat humana, disponit sacra, moderatur profanis; privata publi-

publica; suo jure complectitur. Ita diffundit se per omnia potestates, & valet ubique, idque sine provocatione ad aliud tribunal, quam Majestatis summum judicium excludit. Paterfamilias omnes intendit nervos, quod rem suam familiarem cottidie reddat, omnibus bonis instructionem & locupletiores, ut adsint τὰ τῶν, ἀγαθῶν μεμενηκία καὶ θάλασσα, instruat. Eodem plane modo Principi cura fidaque chori, forique divinitus commisso custodia, curae condique sit, ut horum bonus, fortunatusque nullum non tempore existat status. Fortunatam autem, ter & amplius beatam sibi comparabit Rempubl. quum sibi prospiciet de Scholis Academicisque celeberrimis, in quibus tenerrimae animorum juvenum, cera, variorum generum imagines facile imprimi possunt, saluberrimae, Reipubl. maxime profuturae. Hinc Athenis Sophocles legem tulisse perhibetur, ut nec Scholae erigerentur, nec Philosophorum quis praeslet sine Senatus Decreto. Hac de causa & privatae Rhetorum scholae quondam interdictae erant: SVETONIUS de Clar. Rhet. Habent insuper, quod neminem fugiet, Academiae suum peculiarem Magistratum, habent propriam peculiaremque jurisdictionem, cui Studiosi jurant, & jurejurando se subditos faciunt, quae quum in rebus civilibus & criminalibus agnoscendi statuendi, & exsequendi potestatem inferat, Majestatem pro principio agnoscat necesse est. Ornantur praeterea certis immunitatibus, & privilegiis & praeditae sunt potestate honores ac dignitatum titulos benemerentibus conferendi, quae omnes praerogativae non nisi a summa potestate originem trahunt; Quae modo enim a mari flumina oriuntur, & etiam in idem relabuntur, ita quoque a Principe oriuntur imperia, potestates, ita tamen ut nihil sit in ordinaria Magistratum potestate, quod non fluat ab absoluta, & ad eandem refluat. Hinc accuratè Magnificus noster ZIEGLERUS Dissertat, de Jure Majestatis, Exercit. 6. §. 5. Quum nulla hodie Academicarum inter Europaeas inveniatur, quae non proprium habeat Magistratum Academicum, propriamque jurisdictionem, cumque omnes certis civium suorum immunitatibus gaudeant, & insuper singulares dignitatum & honorum titulos diripere valeant. Quibus omnibus nunc Academiae potissimum recensentur, non poterunt sane ab alio ista proficisci, quam ab eo, qui τὸ Κύριον habet,

bet, & concedendi facultatem. Et §. 7. Quandoquidem tanta hodie Academiis contigit felicitas, ut rudium, imperitorumque hominum, qui plerumque literatis literarumque studiis minus esse solent cupidi, foro & judiciis eximantur, per se patet exemptionem illam à nullo alio proficisci posse, nisi ab eo qui τὸ Κύριον tenet in Republ. & vel hoc saltem nomine Academicam institutionem pertinere hodie ad Majestatem.

VIII.

Tacitò quasi consensu nostræ sententiæ adstipulatores accedunt, ipsissima numero fermè majores Academia, ab ipsis personis, summum Majestatis imperium tenentibus, inductæ. Quovis enim tempore ejusmodi Principes Rempublicam maximè ejusque bonum strenuè masculèq; profligantes, reperti fuerunt, qui haut vulgares sumtus in exstruendis Academiis inclutis fecerunt, necessaria successu temporis Clementissimè suppeditarunt, nec male subsidia ejusmodi Academiis concessa, collocarunt. Ut de istis, quarum fama longè latèq; disseminata, Germaniam nostram tantummodò illustrat, Majestatis auctoritate exstructis nobis sermo sit: Multæ sanè existunt Academia, quæ neminem nisi solam summam potestatem auctorem agnoscunt, uti ex earum Catalogo, quem proponit DANIEL OTTO *Jur. Publ. cap. 24. Num. 694.* videre est. Omnium antiquissima est Heidelbergensium, à RUPERTO II. cognomento Ruffo Electore Palatino Anno Christi 1346. condita. Pragensem CAROLUS IV. Imperator Anno 1387. confirmavit. Anno 1361. Viennensis à RUDOLPHO IV. & ALBERTO III. Austriis Archiducibus, fratribus germanis. Coloniensis curâ & operâ senatus 1388. Gryphisvaldiana ab ULADISLAO IX. Duce Pomeraniæ 1456. Regiomontana Borussia ab ALBERTO, Marchione Brandenburgico Borussia Duce Anno Christi 1544. fuit exstructa. Et plures aliæ Academia existunt, quæ à sola summa potestate fuerunt erectæ. In præsentia adhuc eas adspicere libet, quæ in vicinia habentur, nempe Jenensem seu Salanam quæ à JOH. FRIDERICO I. Electore Saxon. 1548. fundata, & Helmstadiensem à JULIO, Duce Brunsvicensi & Lunæburgensi Anno 1576. exstructam.

IX. Quæ

IX.

Quæ res licet in aprico loco posita sit, tamen Pontificii ipsi Majestati hoc jus derogare maximè allaborant. Defendunt enim acriter in Academiarum numero eas planè non esse habendas, quæ Pontificis confirmatione munitæ non sunt, dum soli Papæ potestatem confirmandi Academias tribuunt, uti magnus numerus eorum existit. ADAMUS CONTZEN *lib. 4. Polit. cap. 13.* scribit: „Erigendæ Academiæ jus est penes Pontificem & summos Monarchas cunctasq; Respubl. quoad literas & scientias civiles, nam quod ad jus Sacrum Theologiamqve spectat, ejus cum auctoritate docendi potestas à summo Religionis antistite peti debet. VALENTINUS ROTHMALER. *in Annal. Acad. Ingolstadt. part. 1. pag. 53.* pro Academiis eas non habet, quæ non munitæ sunt Pontificum privilegiis. Eandem fovebant sententiam Cadomi Professores, quibus cum res erat Dominico Budio. An qui Leidæ gradum accepissent, legitimè promoti viderentur, & extra confederatas Belgiæ Provincias pro talibus habendæ. Imo quidam eò audacius progressi fuerunt, uti non immerito eos admiratur B. CARPZOVIVS *Jurisprud. Consist. lib. 2. t. 25. Def. 396. num. 2.* ut veriti haut sint scribere, in Camera non admitti nisi promotos in adprobatis à Pontifice Academiis. Verùm unde hanc potestatem accepit ipse Pontifex Romanus, quæ tamen soli Principi competit? Aut enim Princeps gaudet Majestate, aut ea destituitur, si prius verùm, frustrà sibi vendicat Papa id, quod spectat ad Majestatem, si posterius, expressè contrariatur Dei præceptis, quippe in quibus Vicarius Dei, cui omnia subjecta sunt, dicitur, adeò ut pro lubitu, ordinare civilia, disponere sacra, & moderari profanis valeat. Hinc rectè DN. CONRINGIVS *in Disputat. de Majestate ejusq; juribus circa sacra & profana potissimis Thes. 46.* Id ipsum quod circa Academiarum institutionem Romanus Papa sibi vendicat, nullo proprius jure niti, sed per extremam injuriam civili potestati esse ereptam.

X.

Neutiquam autem nos fugit, Pontificios proferre varias Academias, quas à solo Papà esse fundatas pethibent. Sic R.

sem à Senatu istius loci Anno 1459. exstructam Papam Pium II. fundasse, & confirmasse. *Francofordianam ad Oderam Anno 1506.* ab ELECTORE JOACHIMO erectam ab Alexandro VI. privilegiis permultis adauctam fuisse. *Erbordianam* à DAGOBERTO, Rege Gallia Anno 1391. fundatam, à BONIFACIO IX. & Pio II. variis immunitatibus maectatam. Hisce & addimus *Lipsiensem*, auspiciis FRIDERICI, cognomento *bellicosi*, Principis Electoris Saxoniae, ex familia Marchionum Misnia, solemnii ritu Anno 1408. instructam & inchoatam, à Pontifice Pio II. & ALEXANDRO V. confirmatam; Et *inlytissimam nostram ad Albim Academiam*, quæ FRIDERICO III. *Electori Saxon.* cognomento Sapiienti, laudatissimæ sempiternæq; memoriæ Principi natales ortusq; spuos debet, die 18. Octobr. die *Luca Evangelistæ Anno 1502.* fundatam, Privilegiis MAXIMILIANI I. Imperatoris Inyictissimi adornatam, Bullâ *Julii Pontificis Romani*, Confirmationibus variis, Conservatoriis, Subconservatoriis, Cardinalis, Episcopi, Abbatis, Præpositiq; privilegiis pereximiis, ac immunitatibus largissimis egregiè ornatam atqve auctam esse. Vid. *Academia Wittebergenfis Gottfr. Suevi.* Verum non disquirimus, quid factum sit, tantummodo de faciendi jure disputamus. Quemadmodum enim successoribus Petri (uti Pontifices audire gestiunt) naturâ quasi institutum est, alienas, ad se minimè spectantes, novasq; res semper moliri, iisque summò studiò se immiscere; ita & in hoc negotio nequaquam semel receptam consuetudinem deponunt, falces iniquitatis in alienam messem immittere, omniaq; sub imperia & dominia sua compingentes, laboriosè sudare. Præterea quoque nihil Principum potestati decessisse, inde adparet, quòd si non immediatè semper & expressè, mediatè ad minimum & implicitè ipsorum concurrerint arbitrium, undè rectè infert *Celeberrimus noster ZIEGLERUS Dissert. cit. § 9.* privilegia etiam à Pontifice, Academiis concessa Principis subjacere imperio, ita, ut vel adprobare eadem, vel pro re nata revocare possit. Et si probaverit, non valere ea ex concessione Pontificis, sed ex concessione ipsius Principis, quippe qui adprobando auctor ipsorum exstiterit, sine quò aliàs *inutiliter darentur.* Accedit adhuc quòd in Papatu sint ipsæ *Academiae*, quæ neminem nisi summam potestatem

statem pro auctore agnoscunt. Sic *Bononiensis* mater studiorum primùm à *Theodosio* instituta, denique à CAROLO M. reparata, postremò à *Lothario Saxone* instaurata, & à CAROLO V. majoribus privilegiis & immunitatibus exornata. Nec *Patavina*, nec *Parisiensis*, ut plerique contendunt, nec *Pragensis* alium, quam *Carolos Imperatores* conditores & confirmatores habuerunt, LIMNÆUS *de Jure publ. libr. 8. cap. 1. num. 33.* Et FRANCISCUS I. *Gallie Rex* in *Academia Parisiense* Jus Civile Romanorum doceri vetuit, ne fortè ejus imperium agnoscat, cujus leges in Academiis explicarentur. ARNISEUS *de Jure Majestatis l. 2. c. 6. num. 14.*

XI.

Satis hæcenus jus Academiæ erigendi ad solum Principem spectare probatum esse arbitror. Nunc de ipso *Rectore Magnifico* nobis sermo erit. *Caput & Princeps* ille dicitur *Academiæ*, & summâ & illustri pollet dignitate, quam ab ipsâ accepit *Majestate*. *Causa* enim efficiens hæc illius dicitur; Nec id immeritò. Quæmodum enim sola *Majestas* exstruit fundatque *Academiæ*, ita quoque constituit dignitatem & potestatem ipsius *Rectoris Magnifici*, adè ut ob eum finem, quia *Patroni Academiæ* repræsentat personam, vicarium ipsius Principis nominare liceat. Hinc quoque dignitas ejus regiam quoadantenus imitatur & potestas maxima est.

XII.

Sacro sanctum semper Legatum atque inviolabilem ab omnibus fermè gentibus habitum fuisse, neminem facile repertum iri, qui id inficias ire vellet, mihi maximè persuasum habeo. Nihil attinet hic conquirere testimonia scriptorum, quùm unanimis populorum consensus in vulgus notus sit. Non invenietur ulla nisi fortasse ferina gens sit, quæ neget in totum Legatorum capita inviolabilia esse. Nam & Barbaris morem esse Legatos venerari, *Totilas* dixit apud *Procopium*. Et sanè si fundamentum ejus rei indagemus, & descendamus in causas inviolabilitatis Legatorum, nullam aliam ausim proferre, quàm quod Principis vices sustineant & huic quicquid accidit, sibi vel honori vel contumeliæ ducat *mittens*. Quod si Legati persona hac ratione tam sancta atque inviolabile

labilis est ex mittentis Principis Majestate, cur non eandem ipsi *Rectori Magnifico*, Principis vices in Academiis sustinenti tribuemus? Hinc quoque factum est, ut MIDDENDORPIUS nec non CASPAR MANTIUS in *Comment. Institut. libr. 2. Tit. 1. §. 10. num. 27. & 28. pag. m. 259.* inter sanctos (puta civiliter) ipsum quoque Magistratum, (uti quoque *Rectorem Academiae*, quippe, qui Magistratus Academicus dicitur) meritò jure numeraverit, adeò ut qui eum injurià quadam adficiat, ipsum offendat Principem, & secundum MIDDENDORPIUM pœna capitis plectatur. Huic sententiæ suffragantes porrogit manus MENOCHIUS de *arbitr. jud. L. 2. Cent. 3. Cas. 263. num. 15.* referens, in Academia Papiensi studiosum quendam, & in Pisana alium, propterea quòd Rectorem Academiae injurià adfecerint, capite fuisse ambo plexos. Suppeditat quoque iterum MANZIUS locò jam alleg. cum hisce rationem, quia *Rector* personam Principis sustineat, & omnes dignitate antecellat, longèq; emineat. Quapropter sedulò id dare solent operam, ut sanctitatem & dignitatem ipsius *Rectoris Academiae* venerentur, nec ullum exemplum liqvet, quòd quidam eò audaciæ tenderit, ut *Rectorem Academiae* protervè adgredi, eumq; lethaliter vulnerare ausus fuerit, exceptò illò horrendò & tragicò, quod hinc *Witteberga* perpetratum, nec non à *Venerando Seniore Excellentissimo DN. ANDR. SENNERTO*, Athenis *Wittebergensibus*, l. 1. c. 6. p. m. 58. sub Anno 1512. d. 1. Maji. Ut & DN. D. SUEVO, *Inscriptionibus suis Wittebergensibus* ex veterum monumentis allatum. Studiosum, perhibent, quendam, nomine BALTHASAR FABRI de Gleichender, Herbipolensem, malò geniò ductum fuisse, ut Rectorem suum, cui antea fidem & obsequia sanctè præstanda juramentò promiserat, ferrò peteret, & è medio tolleret; quia propter scelera quædam hinc commissa Universitate hac ab universo Academiae *Consilio*, hujusq; capite *Rectore* ejectus erat, cupiditate vindictæ 3. Octob. Ann. 1512. clandestinò modò, omnibus insciis Leucorin repetens, sub noctem sumptâ cœnâ domi revertentem *Rectorem*, cruceferrea (cui nomen erat *Udalrico Erbar*/Med.D. aliàs hujus Universitatis *Rectori* in ordine *vigesimo*) invasit, ictuq; capiti istius illatò nefariè interfecit. Brevi post reus & maleficus deprehenditur, atq; publicò hic forò capite, ut homicida, plectitur. Hujus gladio interemti *Rectoris* ossa condita jacent in templo Prochiali juxta altare, sub lapide duobus sceptris Academicis signato.

XIII.

Quum itaq; Principis vices sustineat *Rektor Magnificus*, hinc ad augendum & indicandum ejus splendorē, ipsi in publicis actibus sceptrā à famulis præferri solent: non quasi Regiam significarent dignitatem, sed ut sint singulare honoris insigne, ac de summâ ejus testimoniū perhibeant potestate, qui Academiam constituit; Quorum sceptrorum in nonnullis Academiis quatuor utpote in Gryphswaldensi pro numero quatuor facultatum, in aliis duo ut in hac nostra, plurimisq; reliquis conspiciuntur. Lovanii splendorem Rektori exhibent haut exiguum Bedelli, uti vulgari nomine adpellantur, quorum unus prælato grandi argenteo Sceptrō semper procedit, famulis sequentibus, interdum etiam octo proeunt, cum quinque suis sceptris, sed in solemni tantummodo processione, aut die festo. Purpuratus præterea incedit, uti in omnibus fermè Academiis, & in *Lipsiensi* quoque Tiara utitur. In Academia Patavina more Senatorum Venetorum purpuratus incedit, potestq; aureâ uti stolâ, & exacto Munere aureâ donatus catenâ in ordinem equitum S. Marci recipitur. Aliàs nunquam in publicum ire solet, quò melius semper suæ dignitatis rationē habeat, nisi famulis cum insequentibus comitat. Mompelii tanta Rektoris auctoritas existit, ut Studiosi quacunq; etiam de causa egredientē comitari honoris gratiâ soleant. Sunt & insuper alia honorum insignia atque privilegia, quibus Rectores in quibusdam Academiis ornantur. In Academia Julia durante imperio est S. Palatii Lateranensis, Aulæ & Imperialis Consistorii Comes. In Parisiensi jus habet nundinas istas aperiendi.

XIV.

Ceterum sicut Legatus semper eò intendit, ut Principis locū, quē ipse possidet, occupet; ita quoq; non min⁹ à *Rectore Magnifico* observari solet sedulo. Hinc in Actibus Academicis ipse *Rektor* ex Juris præscripto sequi non solet Ducem, vel alium Principem, in Academia studiis operam navantem, sed eorum partes poti⁹ sunt *Rektori* obsequium præstare. Etenim quamvis ille sit Princeps, Rektoris tamē imperio & jurisdictioni se subjectum profiteretur. Et quòd ipsi quoq; *Potentissimo Reges ac Principes* Rectorem summis adcerint honoribus, ex historiarum monumentis fatis constat. Artes aliuntur honoribus, quos eò largius in eruditorum ordinem

“ à summis capitibus derivatos legimus, quò majori in literas a-
 “ more flagrarunt. Memoratu dignum est FERDINANDI Hi-
 “ spaniarum Regis egregium factum. Erenim venit is Complu-
 “ tum & ivadente XIMENIO Cardinale fundatore ejusdem Aca-
 “ demia, latus claudente, Collegium Ildephonsi cœpit invifere.
 “ Sed Rectore cum Patribus Academia è Collegio in Regis oc-
 “ cursum progrediente, quùm præcuntes ejus Sceptringeros Rab-
 “ ducchi Regii, qui & ipsi scepra gerebant, conspicarentur,
 “ & voce intentiori, ut illi scepra Academica submitterent,
 “ aut deponerent, inclamarent, Humanissimus Rex, nihil eâ re
 “ Majestatem minui sentiens; Academicos solito more præce-
 “ dere jubet, Musarum, inqvies, illas sedes esse, in quibus jus po-
 “ sceret, ut Musarum sacris initiati regerent. Hinc XIMENIUS
 “ nactus occasionem *Rectorem suum honorandi*, Regi indicat, nisi
 “ Majestati ejus molestum sit, Rectorem Academia statum & stu-
 “ diorum seriem breviter recensiturum. Placuit hoc Regi, qui &
 “ voluit, ut inter se & Ximenium *Rector* intercederet *medius*.
 MICHAEL PICCARDUS *Observ. Hist. Polit.* PHILIP. CAMERARIUS *Me-*
dit. hist. centur. 3. c. 65. Sic quoque CAROLUM V. Impera-
 torem, quùm fortè esset LOVANI, locò cœsisse & latus texisse
 Rectori, LIPSIIUS IN LOVANO I. 3. adnotavit. Qvalem se pronuper
 “ *Serenissimus ac Potentissimus Elector Saxo-*
 “ *niae &c. &c. &c. Princeps noster Clementis-*
 “ *simus Munificentissimusq;*, ædificia Acade-
 “ mia, nec non *Museum B. Theandri Lutheri*
 “ *& Convictorium* perlustrans, à Patribus hu-
 “ jus Academia Conscriptis ad convivium hu-
 “ millimè invitatus, & ad illud Clementissimè
 “ veniens, erga *Magnificum* nunc temporis *Re-*
 “ *ctorem Nostrum (Tit) Dominum VVERNE-*
 RUM

RUM THEODORUM MARTINI, FACTUM cele- „
berrimum, cuius Nobilissimo Nomini hæ pa- „
gellulæ inscriptæ sunt, præbuerit, quantis „
honoribus dignum EUM fecerit, quàm „
ejus singulares virtutes admiratus fuerit, „
quia in omnium manavit notitiam, pluribus & prolixis significare
verbis haut necessum esse arbitror.

XV.

Quum itaque *RECTOR Academia* magnâ & illustri præditus
sit dignitate, hinc quoque haut rarò accidisse in confesso est, ut
Illustrissimi Principes, Duces, Marchiones & Generosi Comites
laudi sibi duxerint maximæ, operam literis navantes, Magistratum
Academicum gessisse, quibus verò *Pro-Rector* adjungitur, qui
Rectoris Nomine studiosos in Album sive Matriculam recipit,
de negotiis suæ jurisdictioni subditorum cognoscit, & si quæ
alia officio Rectoris incumbunt, pertractat. Testis est hujus
rei ipsissima Celeberrima nostra Academia, in qua multi illustres
Personæ studiorum gratiâ hic commorati summam hanc dignita-
tem, consignante Venerando nostro Seniore, *Excellentissimo* DN.
SENNERTO, Patrono nostro summè colendo, in Athenis Wit-
tebergensibus, tenuerunt. Hisce conjunge Academiam Witteber-
gensem D. Sævî. Rem itaque minus ingrati lecturibus factu-
rus mihi videor, quum nonnullos Rectoris hîc munia obeuntes,
ex Inscript. jam laudatis de promptos, quia liber in omnium ma-
nibus haut versari poterit, ordine referam.

Sceptra autem gesserunt, post primum hîc Rectorem, MAR-
TINUM POLLICHIUM de Mellerstadt, artium & Medicinæ D.
d. 18. Octobr. Anno 1502. festo D. Lucæ electum, Illustrissimæ ac
Illustres Personæ, quas inter:

Nobilis ac Generosus Dominus, DN. MELCHIOR, Comes de
Barby & Mylingin, Insignis Ecclesiæ Cathedralis Argentinensis

Canonicus Reverendus atqve dignissimus, curam administrandi Remp. literariam Witteb. in se suscepit. d. Lucae A. 1510.

Illustissimus Princeps ac Dominus, DN. WOLFFGANGUS, Comes Palatinus Rheni, utriusque Bavariae Dux, Insignium Ecclesiarum Cathedralium Herbipolensis, Augustanensis, Spirensis, nec non Argentinensis Canonicus, d. 1. Maji A. 1515.

Nobilis ac Generosus DN. BERNHARDUS, Comes de Eberstein, d. Lucae, 1515.

Nobilis ac Generosus DN. UDALRICUS, Comes de Reinstein, & Dominus in Planckenburgk, d. 1. Maji, Phil. Jacob. 1516.

Illustris Princeps ac Dominus, DN. BERNIMUS, Stetinensium, Pomeraniae, Casubiae, Slavorumq; Dux, Princeps Rugiae, & Comes Butzkoviae, d. Phil. Jacob. 1519.

Nobilis ac Generosus DN. CHRISTOPHORUS SCHLÜCK, Comes in Bassau, Dominus in Weiskirchen/ Elbogen/ Salschenau/ d. Lucae, 1520.

DN. WOLFGANGUS, Comes & Dominus in Stolberg & Wernigrode, Halberstadenensis & Naumburgensis Ecclesiarum Praepositus. d. 1. Maji, 1521.

Illustissimus Princeps ac Dominus, DN. JOH. ERNESTUS, Dux Saxoniae, Landgraviae Thuringiae & Marchio Misnensis, Incliti & Optimi Principis Electoris, Ducis JOHANNIS Filius, d. Lucae, 1534.

Illustris Princeps DN. ALBERTUS, Brunsvicensis, &c. d. 1. Maji, 1535. per totum anni spatium.

Illustris Dominus non solum Nobilitate, sed etiam virtute excellens CASPAR ULRICUS, Comes à Reinstein/ & Dominus in Blanckenburgk / d. Lucae A. 1553.

Illustris Dominus non solum nobilitate Generis, sed etiam virtute excellens DN. STANISLAUS, Comes in Gorca, Castellanus Brzesstensis & Capitaneus Buscensis, f. Lucae A. 1554.

Illustris Dominus, qui nobilitatem Generis, modestia & pietate ornat, DN. CHRISTOPHORUS, Comes in Barby & Mylingen, d. 1. Maji, A. 1555.

Illu-

Illustris Baro STIRIUS DAVID Ungnad / Baro de Sonneck
& Frauenburg, d. i. Maji, A. 1557.

Illustris Dn. ADOLPHUS, Comes in Nassau, Gattenelbogen,
Vianden & Ditz &c. d. i. Maji, A. 1558.

Illustris Dn. HEINRICUS, Baro à Staremburg, Austrius, f. Lucae,
A. 1558.

Illustris Dn. CHRISTOPH. Baro à Donaw, d. i. Maji, Anno
1559.

Illustrissimus Princeps ac Dominus, DN. ERNESTUS LUDOVICUS,
D. G. Dux Sedorum, Pomeraniae, Cassubiorum & Henetorum,
Princeps Rugiae, Comes Caycorum &c. d. Lucae, Anno
1563.

Illustrissimus Princeps ac Dominus, DN. BARNIMUS, Sedorum,
Pomeraniae, Cassubiorum & Henetorum Dux, Rugiae Princeps
&c. Comes Caycorum, d. i. Maji, A. 1564.

Inclytus ac Generosus Dominus, DN. JOH. GEORG. Comes
in Solms, Dominus in Münchenburg & Sonnenwalda, f. Lucae,
Anno 1564.

Inclytus & Generosus DN. SIGISMUNDUS LUDOVICUS,
Austriae Baro in Polheim & Wartenburg, d. i. Maji, A. 1565.

Inclytus & Generosus Dominus, DN. BOHUSLAUS JOACHIMUS,
Baro à Lobcowitz & Hassenstein, Dominus in Litzkow &c.
Cal. Maji, A. 1569.

Generosus & Nobilissimus Dominus, DN. STEPHANUS
GANS, Baro in Budlitz, Marchiae Brandenburgensis Marefcallus
haereditarius, d. i. Maji, A. 1570.

Inclytus & Generosus Dominus, DN. MICHAEL SLAVATA,
Dominus à Chlum, & Cossenberga, f. Lucae, A. 1571.

Inclytus & Generosus Dominus, DN. JOH. Comes Hardeccis
Gloccii & Machlandiae, Baro in Starenberg, Dominus Crucingensis,
Haereditarius Pincernae Archiducatus Austriae, Dapifer Stiriae
in Letoviccia, &c. &c. d. Lucae A. 1572.

Inclytus & Generosus Dominus, DN. JOH. CYRIACUS, Liber
Baro in Polheim & Wartenburg, d. i. Maji 1575.

Inclt

Inclytus & Generosus Dominus, DN. ANDREAS WOLFGANGUS, Baro Austriacus, in Polheim d. Luc. 1576.

Inclytus & Generosus Baro LADISLAUS à SCHLEINITZ. Luca. Ann. 1579.

Illustrissimus, & omnium Heroicarum virtutum ornamentis cumulatisimus, *Princeps ac Dominus*, DN. ERNESTUS, Dux Brunsvic. & Lunæb. d. i. Maji Anno 1584.

Illustrissimus, & eximia indolis, magnæq; expectationis Princeps, AUGUSTUS, Dux Brunsvicensis & Lunæburgensis f. Luca. Anno 1584.

Generosus Dominus, DN. FRANCISCUS BANFILOSONCI, *Illustris ac Magnifici Domini*, DN. WOLFGANGI BANFILOSONCI, Comitibus Dobocensis, Baronis in Huniad, Bonczhida, Zentelke, Nagifalu, & Consilarii Illustrissimi Principis Transilvaniae filius, d. Luca. Anno 1588.

Inclytus ac Generosus Dominus, DN. WIGHARDUS, Liber, Baro à Promnitz, in Plesfora, Tribel d. Luca Anno 1590.

Illustrissimus, & omnium Heroicarum virtutum ornamentis *Augustissimus Princeps ac Dominus*, DN. AUGUSTUS, Dux Saxoniae, Episcopus Naumburgensis & Cizensis, Landgraff. Thuring. Marchio Misniae pro totum quinquennium a. d. Luca Anno 1601, ad iterum diem Luca 1606. Rectoris Magnificentissimi partes ornabat.

Illustris ac Magnificentissimus Comes EMERICUS THURZO de BETTLENFALVA, Comes perpetuus ac Hæreditarius de Arva, Regni Hungariae Palatini filius, Dominus in Lethua, Thokai, & Bittsche. d. Luca. 1615.

Illustrissimus ac Generosissimus Princeps ac Dominus, DN. GUSTAVUS, GUSTAVI MAGNI, Svecorum, Gothorum, & Vandalarum, Gloriosissimi Regis filius, d. Luca Anno 1632.

Illustrissimus ac Generosissimus Dominus, DN. CHRISTIANUS AUGUSTUS, Liber Baro à Friesen. &c. d. Luca Ann. 1664.

Quot *Serenissimos atque Celsissimos Principes*, BERNHARDOS, ERNESTOSq; D. G. Duces Saxoniae, &c. &c. Rectores Magnificentissimos Academia Salina coluerit, atque venerata sit, constat ex eorum Matriculis, nec non Programmatis. In Magistratu

stratu porrò Academico fuerunt, ipsarum Academiarum ipsissimi etiam auctores, fundatores, & quasi parentes, primiq; Magistratûs insignia suis humeris ferre laudi sibi duxerunt maximæ. ejusmodi auctorem habemus, Reverendissimum Præsulem, & Illustrissimum Principem, Julium Episcopum Herbipolensem &c. restauratorem Academiæ ibidem florentissimæ, qui primus suis humeris ornamenta Academiæ sacrare non dedignatus est, sed d. 4. Jan. 1582. suffragiis Patrum Academicorum primus ac Magnificentissimus Rector, renunciatus est, quod munus Reverendissimus Episcopus Anno 1584. d. 30. Sept. alterâ vice benevolentissimè iterum suscepit. vid. Encœn: & tricennalia Juliana. p.m. 133. & seqq. De ceteris ipsa loquitur experientia.

XVI.

Sicuti autem ita comparatum est, ut ob eam causam mortales titulos, quò melius inter personas discrimen quoad statum, ac existimationem habeatur, adhibeant: Titulus enim Definente Clarissimo PUFENDORFFIO *lib. 1. Elem. Jurisprud. Univers. Def. 6.* Est attributum Morale, quò designantur discrimina personarum in vita communi secundum existimationem & statum: Hinc quoq; idem observatur in *Rectore Academiæ. MAGNIFICUS* enim ille salutatur ad exprimendam illam dignitatem, juxta ac summum splendorem, quò præ ceteris amplissimè instructus est. Illi omnes excellenti titulò, quorum fama satis satisque sese extenderit, meritò honorantur, multò magis Rector Academiæ Magnificus adpellatur, quippe qui dignitatem quasi Regiam possidet, Principisq; personam representat. Tradit aliàs SYMMACHUS l. 4. Epist. 60. p.m. 177. magnæ urbis magistratibus angustos animos non convenire sed Magnificentiam. De rebus personisq; Magnificis vid. VALER. MAX. l. 8. c. 15. DIOG. LAËRT. de vita Philosoph. l. 3. de vita Platonis. Titulus autem Magnifici meritò jure *Rectoribus Academiæ* attribuitur, quippe quia satis ejus dignitas hocce exprimitur. Magnificentiam, felicitatem & Claritatem rerum FLORUS vocat, quod nisi fallor profundissimo TACITO est indulgentia fortunæ, aut etiam ut alibi legitur, Vali-

Valida fortuna. Nonne autem satis habet felicitatis Rector
Academiae, quando ejusmodi pollet dignitate, ipsiusq; Principis
vices sustinet? Nam quod ille loco Principis existat, ex eo quoq;
adparet, quia in quibusdam Academiis, ut Helmstadiensi & Kilo-
niensi *Pro-Rectores* saltim creantur, nec Illustre Rectoris no-
men ulli, nisi Principibus illarum fundatoribus ac nutritiis, al-
ternis vicibus defertur. REFENDSO Heromontanus de Summa
Principum Germaniae potestate. C. 5. p. m. 109.

XVII.

Gravissimis autem & maximè prægnantibus, de causis in
Academiis fere omnibus semestris tantum, aut, quod tamen ra-
rissimè, annuus Consulatus Academicus esse solet. Utpote Al-
torpii singulis annis, Salisburgii tertio demùm anno, novus eli-
gitur Magistratus vid. Limnaeus de Jurepubl. l. 8. c. 5. n. 28. Lova-
nii olim fuit trimestre, Coloniae Agrippinae quadrimestre impe-
rium, Hic loci autem, ut & Academiis vicinis, absolutò semestri
novus creatur magistratus. Quem ambulatorium Magistra-
tum & ipse Philosophus probat. Num autem ambulatorius &
temporarius perpetuo præstet Magistratu, potuisset forsan ali-
quis ex me quærare. Vulgari aliàs habetur proverbio. Omnis
mutatio (addimus præsertim in Republ.) cum magno damnò,
summaq;ve pernicie est conjuncta. Comparavimus superius
Academiam corpori. Similitudo huic quoq;ve scopo intervi-
ens iterum ex corpore desumpta, jam dictis, id quod clarius eve-
niet, constabit. Ut enim in corpore victus ratic ^{corpus} mutata parùm commodi fovere potest, ita Magistratum perfre-
quens & crebra mutatio ne utiq;vam erit proficua. Ex Magistra-
tibus enim novis, nova surgunt consilia, novæ leges, nova rerum
omnium facies solet promanare, juxta Germanicum tritum Pro-
verbium, *Neue Herren/neue Regimenter* TYMPHUS *Cynos. part. 3.*
Thema 6. p. m. 17. Limnaeus autem de Jurepubl. l. 8. c. 5. n. 28. mutabi-
lem Magistratum Academicum amplectens hisce ratiociniis
suam stabilire sententiam nititur. *Aut Rectoratus bonus est, aut
onus. Si bonus utiq; omnibus dignis in isto Collegio successivè meri-*
tè

edò defertur; aequalibus enim aequalia sunt tribuenda. Si onus, non semper ab uno, sed per vices ab altero quoque, supportari debet, ne quidem melioris sint conditionis aliis, ne aequalibus inaequalia tribuamus, uni quietem, alteri negotium. Aristot. l. 5. Ethic. Et ne unus semper hoc onere gravatus legendi munus publicum cogatur intermittere. Per vices quoque magistratum creare, suscipere, deponere, à prima fundatione omnibus in Academiis permansit, unde primi fundatores pro temporaria imperandi potestate communi veluti calculo suffragia quavis exceptione majora tulerunt, minimè verò id temerè, sed procul dubio consiliò maximè prudenti. Quis etenim par erit oneri ferendo, dum multis fermèque innumerabilibus laborum, molestiarumque perplexitatibus obnoxium est imperium Academicum; Accedit adhuc quòd nullò facilè modò posset evitare invidiam ille, qui aliis semper praesse, nunquam verò subesse velit. Aut non expetenda, aut non accipienda, aut nonnunquam deponenda esse officia svadet ipse *Romanorum Sapientissimus Cicero.*

XVIII.

Illà verò electio instituitur pro consuetudine & statutis Academiae cujusvis; Ut plurimum hodie vel soli Professores, vel unà cum ipsis Magistri & Doctores in Academia illa creati (ceu Lipsiae fieri constat) juxta seriè nationum eligunt Rectorem In Italia nationum consiliò alii eligunt eundem, Basileae quoque Studiosos interfuisse electioni Rectoris ex Wursti *Chron Basiliens. l. 5. c. 2. p. 42.* meminit *Linneus.* In nostra hac Alma Celeberrima Leucorea eligitur à Professoribus Ordinariis, hoc habito Respektu, ut Rectoratus per omnes Facultates eat in orbem. Quotannis enim duo Rectores nempe Die *Academiae hujus natali Festo* videlicet *Luce Evangelistae. d. 18. Octobris.* alter v. die *Philippi Jacobi ipsis Calendis Maji* creantur. Nam electo prius Rectore, habitò tamen ordine omnium Facultatum ab universo Consilio Academico, conveniunt in ædibus sacris, hic loci, in fano ad arcem posito, quippe quod ad Academiae jurisdictionem pertinet, oculis omnium sistunt, Caput Academiae futurum, musicisque instru-

instrumentis, voceq; honorâ supremum Numen, omnium rerum moderator, & conservator, cujus nutu imperia certis finibus terminantur, constituuntur, evolvuntur, conservantur; pro felici adjutorio, saluberrima administratione, Halcyoniisq; diebus Rectori, nec non Academiae Clementissimè concedendis, devotè imploratur; Deinde Rector jam officiò decedens ante altare orationem quandam solemnem publicè recitat, quâ peractâ ipsi successorì tradit sceptrâ duo argentea, Librum statutorum, sigillum Academiae, Claves Consistorii, Aerarii, & carceris, tandemq; Purpuram splendidum Rectoris ornatum. Plura de hoc legere cupiens adeat Venerandi nostri Senioris SENNERTI Athenas Wittebergenses.

XIX.

Qui modus Regiminis licet in nonnullis celeberrimis nostrae Germaniae Academiis hætenq; sedulo fuerit observatus, dum ex omnibus Collegiis fuerunt, qui fasces imperii sustinuerunt, constituti; tamen quibusdam abhinc annis nasutulus quidam *Relfensio Heromontanus* fuit repertus, qui ut in ceteris supra modum sibi soli in Tractatu quodam, quem inscripsit de Summa Principum Germaniae potestate, sapere videtur, ita quoq; in hoc negotio suam nimiam prudentiam exhibere voluit, dum ambulatorium *Rectoris* officium in perpetuum transformari, ac uni saltem personae laude præstanti, nec non morum Jovenum Nobilium, pauperum divitumq; accuratam habenti cognitionem, ac prudentia seditiones præcavendi, aut forsitan jam ortas componendi pollenti, tradi voluit. Idq; principiis Politicis haut incongruum esse adfirmat, locum ex Aristotele *l. 2. C. 1. Politic.* producens, ubi satius, inquit, eosdem habere supremum imperium, si fieri potest. Verùm non video rationes cur ab introducta regiminis Academici consuetudine sit recedendum, aut Philosophorum ordo à participatione hujus dignitatis, quod intendit *Relfensio*, sit excludendus, quum negotia plurima benè possint expediri ab iis, qui legum civilium Romanarum scientiâ destituuntur. Silens prætereo, quod ingeniorum notitia, prudentia præcavendarum & sopiendarum seditionum, ut & rerum gerendarum

darum solertia, non aliunde, quàm ab historiarum lectione & conversatione cum prudentibus, quàm tamen infucata moderatur Philosophia, sit depromenda. In iis rebus, quæ ex Juris fontibus sunt decidendæ, notum est, quòd Rector suis utatur Adessoribus, aut consilio Decanorum, in quibus semper habentur Juris Civilis periti, unde quoque si opus est, sæpenumero Senatuum Academicum per ministrum publicum convocat, expositâ in Schedulâ obsignatâ convocationis causâ, ut instructiores & præmeditati accedere valeant. Quod ad locum ex Aristotele allegatum, ille ipsum Relfendsonem nihil juvat; siquidem non de regimine Academico, sed gubernatione civitatis, non de subordinato, sed supremo imperio, aut supremi æmulo, & quidem ratione certi statûs sermo est, quùm alibi expedire jubet Magistratum nullum habere perpetuum. Melius igitur officium ambulatorium Rectoris, quàm perpetuum esse patet. Denique si ex numero Professorum perpetuus constituatur Rector, id reliqui ad contemptum suum interpretarentur quasi ad gerendum illud officium habeantur inepti, quòd nec Patroni Academiæ augeret gloriam, quò fine prudentissimè rescripsit Sereniss. Elector Saxonix gloriose memoriæ de anno MDCXXX. Wir auch nicht gerne einen unter unsern Professorn wissen wollen dem die andern salvâ conscientia bey der Rectorats-Wahl ihre vota nicht geben könten; allegante B. Carpzovio *Jurisp. Consist. l. 2. tit. 25. def. 398. n. 23.*

XX.

Tandem quoque ad ipsum Rectoris Academiæ officium accessum facimus, quod hoc est, ut in Album recipiat studiosos, de Universitatis ac singulis causis judicium ferat, Academiæ jura & privilegia tueatur, nihilque prætermittat, quod ad ejus conservandum statum, augendam auctoritatem, promovendas literas, retinendam disciplinam facere possit. Amplissima Academiarum Juris potestas est, ut in multis non ad civilia dumtaxat, extendatur, sed in omnia comprehendat; mite tamen ac paternum, non imperiosum esse, non Imperium. Hinc quoque, ut in hac nostra Alma Albiensi, ut quoque gladii habeat, tamen illud



illud tantum in subditos villoris conditionis non autem in studiosos exercet, sed quotiescunq; contingit, ut aliquis Studiosorum capite puniendus sit, ipsi Præfecturæ Electorali, habitâ primâ causæ cognitione, reus sistitur. Ceterum nullas alias pœnas erga literatos adhibere solent, quàm pœnam carceris, relegationis, & cum infamia exclusionis, quarum priorem pro re nata solus ipse Rector Academiæ exigit; ad reliquas fortibus dictandas Concilium aut Consistorium cogit & suffragia requirit.

XXI.

Consideratâ hætenus Rectoris dignitate, potestate, ejusq; officio, ipsam nunc definitionem adgredimur. *Est autem Rector persona, à Majestate constituta, ad regendam Academiæ. Quæ singula quum ex præmissis satis superque pateant, non ulteriori opus habent explicatione. Nos hic subsistimus, rogamusque Numen Divinum supplices, ut Rectorem Academiæ Magnificum, ceterosque Patres Conscriptos, multos adhuc annos incolumes, hospites atque superstites servare, laboribus tum docentium, & discipulorum, tum imperantium, & obsequentium cœlitus benedicere, ipsamque inclutissimam Universitatem nostram Albiorenæ sanctissimò suò pariterque benignissimò patrocinio nullo non tempore complecti, omnesque suppeditare velit bonitates, quibus humana consummatur felicitas.*

S. D. G.

COROLLARIA.


I.

Rectè Magistros Philosophiæ Doctores posse vocari adfirmamus contra *Christophorum Waltherum Tractatu de Statu Juribus & Privilegiis Doctorum omnium Facultatum.* C. 1. 3.

II.

Dictatores Romanos potestatem habere ad legem ferendam, adfirmamus contra *Bœclerum* nosque.





Latere Virtus nescit inclyta, sed probat
 Se publicò proditqve. Sic quoq; Te probas
 Hac disputatione publico & Sophis
 Cunctis. Pium votum meum est FELICITER!

CONSTANTINUS Siegra / D. P. P.
 h. t. Decanus.

Mente piâ reputas TECUM RECTORIS honores
 MAGNIFICI summos, jura, sacrumqve decus.
 Rem geris ut fas est; quid? si RECTORE PATRONO
 Præsenti, studiis digna brabéa virent.

MICHAEL Strauch / Mathem. P. P.

Quæ Tua SARTORI, pietas exponere gestit,
 Laudem merentur omnia.
 Perge, velut pergis, studiis extendere Nomen,
 Sequentur inde præmia.

GEORGIUS Green / Histor. P. P.

Obsæqvii quæ sit studiosis gloria
 Rectorem mancant quæ decora alta, doces.
 Perge ita, SARTORI, sic summus Rector olym.
 Concedet studiis præmia larga Tuis.

gratulab. f.
CHRISTI S Röhrensee / Moral. P. P.

Philosophus & POLITICUS quid differant,
 Philologi id ipsum enquire tam bene
 Quæ non optime, sciunt. Neque hoc refert parum
 Se in uno convenire sæpius
 Ut constat. Quis conquirere
 Extremum præmium,
 SARTORI, es inquit. Te probatis moribus
 Novensiles nõ-unt Deæ uni Gratiis.

Et

Handwritten in blue ink: *an. 1791*

Et ipsa DISPUTATIO Politicum
Te sistit orbi literato, & optimum
Academicum Civem, MAGISTRATUS piò
Ornantem honore, splendidissimum Decus!
Qvis inde non TIBI augeretur optima,
Qvæ NUMINIS concedat ALMI gratia?
Vive ergo PATRIÆ, PATRONIS & PATRI!
Pergrata surgant hisce cuncta SINGULIS!

ita vovet ex animo

*Pereximio Disputationis hujus Auctori Populari
suo honoratissimo*

M. JOH, Peißker / P. L. Cæs. & Lycei
Witreb. Rector.

TE studiis præsens specimen, *per dulcis amice,*
Noctes atque dies invigilasse docet.
Gratulor ergo TIBI, precibusque fatigo Jehovaham,
Ut dare sudoris larga brabea velit.

Christianus Schillingius,

Playlá Varisc. LL. St.

Mplumes corvus non volt agnoscere pullos,
Omnia convenient, vox, color atque gradus,
Filius indignus Patre sic censebitur esse
Omnia ni possit reddere digna patre.
Omnia Tu similis PATRI, mores, studiumque
Sic satis hicque Tui color atque ipse labor.
Pergiteo! sic fueris, CLARI PATRIS amulus acer,
Ac PATRIS quondam c. comitare gradum.
Qvod precor ex animo gratan. FRATER AMANDE,
Ex voto major quò TIBI c. gar honos.

JOSEPH. ADA...

S. P. S. S.

...ner/Oelso...

icus,

Handwritten signature in black ink: *Wenz*



Ze 3791

ulari
lycei

ius,

icus,

ULB Halle

3

004 841 441





~~11~~ QK 224

RE
A

PR
DN. M. D
Amplisf

Don
Public

HEINRIC
Leubnitic

D. XI

QK 226



Ye
3791

RE
E,

ELERI,

djuncti

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

VII.

Kort. 4,41.

